



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1698.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

pars non minima, quæ sacris Acatholicis addicta, renuit tunc quidem subscribere passionibus, quarum articulus quartus in adjecta appendice : *Religione tamen Catholicâ in locis sic restitutis in statu, quo nunc est, manente, plusculum visus favere rei Catholicæ.*

A N N U S 1698.

Viennæ appulit mense Junio Legatio Moschovitica cum numero comitatu, cui ipse magnus Dux, dissimulato tamen Principis habitu, interfuit. Moratus hic fuit per dies plusculos, & ab Augustissimo totaque Aula Cæsarea habitus splendidissime, eaque majestate & magnificentia, quæ tantos decebat hospites.

Expeditiō Hungarica solis ferè insumpta castra metationibus. Ferrum, quò minus denuo stringeretur in Barbarorum jugulos, visa est inhibuisse suscepta tractatio pacis, quam componendam quantocyus inter Principes Christianos & Turcas efficacissime urgebant per suos internuncios Angli & Batavi.

In Gallia sudatum etiamnum indefesso studio in reducendis ad saniora subditis hereticis, quos Rex Christianissimus omnino imperavit vel non esse suos, vel esse Orthodoxos.

Con-

seculi decimi septimi.

209

Contraria studia in Anglia ; cuius cura
& sollicitudo præcipua fuit , tutos reddere
fasces Hæresis à conatibus Catholicorum ,
fautorumque Regis Jacobi. Unde solenni
Parlamenti decreto proclamati rei perdue-
lionis, quicunque absque liberi commeatus
itteris ex Gallia in Angliam trajecerint.

In Moschovia horrendis lævitiae penè in-
auditæ exemplis animadversum in eos , qui
Magni Ducis absentia abusi ad moliendas
res novas plebem ad seditionem concitave-
rant. Intra paucas hebdomadas numerata
ultra quater mille regni Proceres, Aulæ Mi-
nistri, Præfecti militiæ , quibus vel laquens
gulam fregit, vel ferrum carnificis cervicem
refecuit, vel rota membra quassavit, vel tra-
jecta per ilia palus, producto per aliquot di-
es mortis acerbæ sensu, spiritum extorsit.

Reverso in Gallias sceptri Polonici rivali
Principe Contio firmari visum diadema Re-
gi Augusto Friderico, cuius partibus ex Con-
tianis mox accesserunt Mareschallus regni
Thesaurarius Lithuaniæ , Episcopus Ploz-
coviensis , Archiepiscopus Lembergensis,
Mareschallus Rocossianorum & complures
alii primæ notæ Magnates & Principes
quos secutus fuit demum & ipse Cardinalis

Primas

Primas jussu Romani Pontificis, Regemque
Poloniæ Fridericum Augustum humili ob-
sequio fuit deveneratus.

ANNUS 1699.

ROmæ die 18 Maji, festo Ascensionis Dœ-
minicæ publicata fuit ritu solenni, inter
tubatum tympanorumque festivos strepit⁹
præsente Pontifice cum Patribus purpuratis
Bulla Jubilæi Romani sive Ordinarii, quod
modò ex recepto Ecclesiæ more quovis an-
no vigesimo quinto à Romanis Pontificibus
fidelibus indulgeri solet.

Huic Jubilæo datum est initium 24 De-
cembr. in per vigilio Nativitatis Domini post
apertam Portam Auream per consuetas cæ-
remonias, quas obivit hoc anno, impeditis
ab hac functione per infirmitatem corporis
summo Pontifice & Cardinali Cibo, Cardi-
nalius Bouillonius Sacri Collegii Pro-De-
canus.

Eodem anno ad iteratas preces & lit-
teras Regis Christianissimi damnatae sunt ex
libro Francisci Salignac Archiepiscopi Ca-
merensis, cujus titulus : *Maximes sur la
vie interieure des Saints ; propositiones 23.
quæ sapere videbantur errores Molinosii.*
Bulla damnationis, ut primùm delata est in
Galli-